

nuantem actus meos et verba. » Ita S. Francisca Romana ab angelo suo custode, quem crebro præsentem vidit, instruebatur in rebus agendis, defendebatur a dæmonibus, cœlesti lumine et gustu spiritali replebatur, quandoque etiam si vel leviter deliquisset, puniebatur, subtractione aspectus ejus ; ut in ejus vita. Illud porro mirandum, quod integræ interdum acies angelorum missæ sunt a Deo, ad unius justi defensionem. Legimus enim IV. Reg. VI. integrum angelorum exercitum missum fuisse ad defensionem et tutelam Elisæi. Et Genes. XXXII. duo angelorum castra (uti vox Hebræa, Machanaim, dualis significat) seu binæ acies obviam factæ sunt Jacob patriarchæ pergenti in Chanaan : una earum erat angeli præsidis Mesopotamiæ cum angelis sibi subordinatis, quæ comitabatur eum ad confinia Chananææ, altera erat præsidis Chananææ cum suis, quæ excepit patriarcham in confinibus, ut eum per Chananæam secure duceret ad patrem, et ab Esau aliisque hostibus protegeret, quomodo solent principes deducere externum ducem præsidiariis suis militibus per suas ditiones, ut exponit ibi Corn. a Lap. Nec dubito, quin Christum etiam comitata sit acies angelorum Ægyptiaca usque ad terminos Palæstinæ, et inde acies altera præsidis Judæorum exceperit et duxerit in Nazareth ; si enim id servo factum, cur non Domino ?

V. Prodeundum nobis iterum esse ad avitam majorum nostrorum religionem, pietatem, sinceritatem, concordiam, etc. postquam nunc per Dei gratiam extincta est in patrio nostro solo hæresis novatorum. Itaque defunctus est Herodes, extinctus Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Hussius, eorumque patroni principes, quorum persecutio et seductio plurimos in exilium et bonorum spoliationem, innumeros pene in errorem et gehennam impulit. Ac quemadmodum primi Christiani tempore Constantini Magni, qui christianus factus pacem Ecclesiæ tribuit, prodierunt e cave rnis, in quibus delituerant tempore persecutionis ; ita possumus nos hoc tempore prodire ad fidem veterem, et dicere cum Salomone, III. Regum V. *Nunc non est satan, neque occursum malus*. Et sicut ipse, obtenta pace in suo regno, cepit ædificare templum (uti mox ibid. subdit) ita decet nos resumere pristinam majorum nostrorum pietatem et sanctimoniam, reparare templa, etc. *Ortus est sol et congregati sunt* (catuli leonum rugientes et rapientes) *et in cubilibus suis collocabuntur. Exhibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum*, inquit David, Ps. CIII. Prodeamus et nos ad laborem, reclusis in cubilia sua hæresiarchis. Revertamur in terram Israel et nostram Nazareth, ad primævam, id est, catholicam fidem. Nemo unus sit, qui

Herodem resuscitare vel ad filium ejus divedere velit *Non est pax impiis* hæreticis. Rogemus etiam Dominum, ut nos in patria nostra secure et quiete degere faciat, quomodo Salvator noster cum parentibus suis vixit in Nazareth usque ad trigesimum ætatis suæ annum. Quam miserum est exulare et inter ignotos vivere, vel perpetuo stationes mutare ; tam beatum et jucundum est vivere domi suæ sine perturbatione et timore. Ita contigit Hebræis tempore Salomonis (III. Regum IV.) pacem undique in circuitu habentis. *Habitabat enim Judæa et Israel absque timore ullo*, inquit sacer textus, *unusquisque sub vite sua et sub ficu sua a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis*. Vult dicere: secure omnes versabantur etiam extra urbes in hortis et agris, et fruebantur eorum deliciis, frugibusque abundabant. Quod sane et nos sperare possumus, si avitam pietatem cum avita religione redixerimus. Prædixit hoc filio Salomoni David moriturus : *Proficere poteris, si custodieris mandata et judicia, que præcepit Dominus Moysi*, I. Paral. XXII. idque in se expertus est Salomon, quamdiu veri Dei cultui addictus fuit. At ubi ab eo deflexit, scissum est regnum ejus omniaque per turbata. Contra, quia Josaphat constanter Deum coluit, fuit Dominus cum eo, et confirmavit ejus regnum factæque sunt ei infinitæ divitiæ et gloria multa, II. Paral. XVII. Ita ex cultu divino et zelo fidei ac pietatis fervore gloriosi et felices evaserunt Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Alphonusus II. Castellæ rex, Rudolphus comes Habsburgicus, postea imperator, nostroque sæculo complures principes. Agnoverunt hoc vel ipsi gentiles. Livius, l. V. ait : « Omnia prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus. » Et C. Marcius apud eundem, l. XLIV. dicens, favere pietati fideique deos, per quæ populus Romanorum ad tantum fastigium pervenit. Et Cicero, lib. III. de nativitate deorum : « Diligentiore urbem religione, inquit, quam ipsis mœnibus cingitis. » Simus ergo Nazareth, id est, sancti vel floridi vir tute et religione, erimusque felices ac beati.

### CONCIO V.

#### MYSTERIA.

I. Quando rediit ex Ægypto Joseph. — II. Quomodo defunctus Herodes. — III. Quinam alii insidiatores defuncti. — IV. Cur non declinatus Archelaus frater. — V. Ubi scriptum, Jesum, Nazarethum vocandum. — VI. Fuitne Christus Nazarethus. — VII. Cur a Nazareth denominatus.

#### THEMA.

*Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel.* Matth. II.

S. Augustini doctrina est in libro L. homilia

rum, Dei verbum non minus custodiendum esse atque ipsum Christi sacratissimum corpus. Nec immerito ; nam sicut Christus corpus immensum Deitatis adeoque bonorum omnium thesaurum continet, ita et Dei verbum cœlestis sapientiæ continet arcana, vitamque æternam. Porro in hodierno evangelio audimus, quam sollicitè servatum et custoditum sit tenerum Christi corpusculum, dum ab Herodis furore subtractum et delatum est in Ægyptum, indeque rursus non ad Archelaum Herodis filium sed in Nazareth, securiorem locum relatum. Similem custodiam adhibere Dei verbo decet nos, auditores. Etenim ut aliunde scimus, aves diabolicæ insidiantur semini verbi Dei, idque e sinu mentis nostræ diripiunt cum possunt. Et quia in quovis Dei verbo tametsi ad speciem minimo, latet aliquis thesaurus, minima etiam s. evangelii verba advertenter observanda sunt ; quod hic faciemus.

I. Quæritur : quando rediit ex Ægypto Dominus ? Respondetur, in martyrologio diem septimum Januarii assignari ejus reditui in Nazareth. Quod ita declaratur ex Baronio. Anno XXIX. regni Herodis Christus natus est, et tertio vel quarto a nativitate circiter mense in Ægyptum translatus. Mortuus est autem Herodes anno regni sui trigesimo septimo, teste Josepho, l. I. c. ult. et l. II. c. I. nondum completo, circa pascha ; post cujus mortem Archelaus Romam abiit testamenti paterni confirmationem adeoque regnum a Cæsare impetraturus, unde altero primùm anno rediisse creditur. Ergo post Herodis mortem octavo scilicet anno ætatis Christi monitum fuisse oportet Josephum ut rediret, adeoque Christum annis ad minimum septem et tribus mensibus, qui intercurrunt a decembri usque ad extremum fere martium seu pascha mansisse in Ægypto, quo ante sextum ætatis mensem vix venire potuit. Dum ergo redire monetur Joseph, dum accingit se itineri, dum lente et caute redit, Archelaus jam Roma reversus in Judæam erat, et septima dies Januarii anno Christi nono illuxit, cum in suam Nazareth venit. Ita sentiunt cum Baron. plures. Salianus tamen cum aliis sentit Herodem primo statim Christi anno extinctum, adeoque Christum sub finem anni secundi rediisse : proinde non integro biennio in Ægypto perstitisse.

II. Quæritur : quomodo defunctus est Herodes ? Respond. Sicut tyranni solent, pessime : « Lento enim calore, (inquit Josephus, lib. XVII. antiquit. cap. VIII.) torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus popularetur viscera : aderat et vehemens voracitas, cui necesse esset continuo cibos suggerere, simulque vexabatur intestinorum exulceratione et colicis passionibus. Pedes tumebant

phlegmate humido et pellucido, similiterque inquina ; ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta tentigine non sine fœtore gravissimo. Super hæc omnia nervorum contractione laborabat et difficultate anhelitus. Quam obrem constans erat inter viros divinos et fatidicos opinio, regem læsæ tot modis pietatis Deo pœnas expendere. » Et lib. I. de bello cap. ult. scribit idem auctor convocasse eum et tota ditone nobiliores Judæos, et in circum conclusisse ac mandasse Salome sorori ac marito ejus Alexæ, ut eo mortuo omnes illos militibus circumdarent et jaculis occidjuberent ; quo vel inviti Judæi, quos de ejus morte gravisuros præsciebat, ipsi illacrymant et suo parentarent sanguine. Quod tamen non est consecutus, si quidem Alexas cum uxore vinctos illos absolvit, et unumquemque in domum suam dimisit. Ad id ibidem Josephus regem præ doloris impatientia tentasse sibimet inferre necem, cultello, quo pomum secueral, jamjam elevato ut in viscera eum adigeret ; verum a consobrino Achiabo accurrente tentum et impeditum fuisse.

Docemur hoc exemplo tyrannorum mortem malam et diram esse, exigente hoc Dei vindicta. Quod imprimis os tendi potest ex ss. litteris exemplo Pharaonis, Abimelechi, Saulis, Achabi, Herodis alterius, Actor. XII. Deinde exemplis gentilium, ut videre inest omnibus pene Ecclesiæ persecutoribus, de quibus infra dicetur, ut breviter Baptista Mantuanus Carmelita l. I. de patientia, cap. XX. hisce verbis : « Julius Cæsar, omitto quot curis, quot laboribus, quot periculis et dispendiis pervenit ad regnum : id enim impossibile relatu est, necdum plenis velis in imperio navigabat, et ecce conjurationis tempestas exoritur, qua sic compressus est, ut tribus et viginti plagis confossus obierit. Cujus Caligula Romanorum imperator postquam triennio et decem mensibus imperavit, trucidatur a suis. Claudius anno imperii quarto decimo venenatur. Nero sextus Romanorum imperator juvenis adhuc et in trigesimo ætatis flore constitutus, qui ardente Roma, Trojæ halosim decantarat, semetipsum suo pugione confodit. Galba senex imperii mense septimo in urbem ad lacum Curtii trucidatur, et ejus caput quod toti orbi legem dixerat a gregario milite amputatum ad calones et lixas est projectum. Otho nonagesimo quinto imperii die semetipsum pugione confodit. Vitellius cum summa ignominia ex ædibus tractus, luto et stercore conspersus, mucrone gladii mento supposito, ne præ pudore faciem inclinaret, ad scalas Gemonias ductus, minutatim excarnificatur. Domitianus ex optimo patre pessimus filius Christianorum persecutor sævissimus, anno imperii suo decimo quinto

BIBLIOTHECA CENTRALIS  
U. A. N. L.

necatur a suis, tanto infelicior, quanto ejus potentia diuturnior. Prolongatio enim tam sævæ tyrannidis, quid fuit aliud quam coacervatio divinæ indignationis? Antonius Commodus, omnibus (ut aiunt) incommodus duodecimo imperii anno strangulatur. Helius quod illiberalis esset et sordidus, imperii mense sexto palam occiditur. Antoninus Caracalla septimo imperii sui anno dum levandæ vesicæ gratia descendisset ab equo, a Parthis opprimitur. Heliogabalus, homo flagitiosissimus, quarto imperii anno tumultu militum enecatur. Decius Christianorum inimicus imperii anno secundo a barbaris est occisus, cadavere ejus nusquam reperto. Valerianus qui cum Gallieno regnavit, captus a Parthoro Parthorum rege non occisus statim, sed ad diuturnam mortem reservatus; erat enim ei equum ascendenti scabellum pedum, quod aliter dicitur suppedaneum. Sed quid pergo tyrannorum cædes recensere? Versu illo satyrico concludendum: Ad generum Cereris sine cæde et sanguine, pauci Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Nec mirum; excubat enim in tyrannos Dei vindicta, ut qui alios vita et bonis spoliaverunt, iisdem spolientur ab aliis et ipsi. Docemur deinde quantopere delirent potentes hujus sæculi, qui mortem suam honore publico condecorari volunt, de funeris pompa, de sepulchri mausolæo, de epitaphiis, de filiorum commodis de vanis post se rumusculis, et hujusmodi nullius momenti regulis solliciti sunt et anxii: interim de re omnium gravissima, peccatorum expiatione, et quomodo Deo rationem reddant nullam suscipiunt cogitationem. Stultissimus et truculentissimus Herodes mortem suam crudeli luctu ornare desiderabat; de vero luctu ob peccata suscipiendo nihil cogitabat. Hoc luctu ornatur funus, illo Herodiano potius fœdatur. Caius imperator jussit statuam suam inferri in templum Judæorum et coli: at successor ejus Claudius jussit omnia ejus simulacra conflari et in histrionis statuam transfundi, Dio. apud Baron. anno 43. Inaniunt qui ex genere mortis vel instrumentis moriendi gloriolam aucupantur, veluti Abimelech tyrannus, qui unicum id effugere studuit ne a manu mulieris truncatus esse dicitur, Judic. IX. Et Alexander imperator, qui ut ait Lampridius, «Tantum animi habuit, ut putaret se diis comparandum si in bello periret: sed res eum fefellit; nam gladio quidem barbarico cecidit, sed suo in tentorio et impura imbellique barbari scurræ manu.» De Heliogabalo etiam imperatore idem auctor scribit: «Paraverat funes blatta et serico et cocco intortos, quibus si necesse esset, laqueo vitam finiret; paraverat et gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis urgeret;

paraverat et in cerauniis, et hyacinthis, et in smaragdis venena, quibus se interimeret si quid gravius immineret; fecerat et altissimam turrim substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere et ad speciem luxuriæ, ut diceretur, nemo sic periisse. Sed nihil ista valuerunt. Nam (ut diximus) et occisus est per scurras et per plateas tractus est sordidissime per cloacas ductus, et in Tiberim submissus est.»

Delirant etiam qui de sepultura plus æquo solliciti sunt. Non tetigit hæc cura S. Monicam quæ filio Augustino dolenti quod in extero solo mater sepeliri deberet, dicebat: «Ponite hoc corpus ubicumque: nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis.» Confess. Aug. l. IX. c. IX. Imo nec Anaxagoram illum philosophum, qui, moriens an in patriam referri vellet, amicis interrogantibus: «Nihil necesse est, inquit, undique enim ad inferos tantundem viæ est.»

Magnificam quidem funeris pompam instruxit Archelaus Herodi patri et omnem ornatum regium extulit in ea ducendum: «Lectus quippe totus (ait Josephus, l. I. de bello c. ult.) erat gemmis auroque distinctus, thorax autem purpure variatus, corpusque super eum velatum itidem purpura, capiti autem diadema erat impositum, corona vero desuper aurea, sceptrumque in dextera, et circa lectum filii cum propinquis, præterea satellites agmenque Thracium, Germanique et Galli velut ad bellum instructi omnes antecedeabant; cætera vero militum manus armata ducesque suos ordinumque principes sequebantur decenter, quingenti autem servi ac liberi odores ferebant; corpus autem per ducenta stadia portatum est in castellum Herodion, ibique secundum ipsius regis mandata sepultum est. Et Herodis quidem regis hic finis fuit.» Sed quid juvit Herodem, sepultum in inferno ista funeris pompa?

III. Quæritur: quinam alii hostes Christi defuncti; ait enim angelus Josepho: *Defuncti sunt qui querebant animam pueri?* Resp. primo S. Thomas et alii, numerum multitudinis pro singulari positum esse per synechocchen.

Resp. secundo, S. Hieronymus hoc loco, Euthymius, auctor imperf. et alii putant denotari etiam alios Herodem contingentes, vel Scribas et sacerdotes necem Christi meditato, quorum aliqui tempore exilii Christi extincti sint. Quinam vero illi sint, non constat. Quid si inter hos fuissent tres Herodis filii Alexander, Aristobulus et Antipater, quorum postremum Herodes quinto ante suum obitum die necari præcepit, reliquos duos non multo ante? Josephus,

l. XVI. antiq. c. ult. et XVII. c. IX. Solent enim filii parentibus se accommodare. Multi etiam seditiosi eo tempore occisi sunt, partim ab Herode ipso, partim ab Archelao filio successore, et una quidem vice ad tria millia, paulo post Herodis mortem, Joseph. l. II. de bello c. l. Itaque intra septem vel octo annos exterminavit Christus in Ægypto exulans suos insidiatores omnes; vel, si sequamur sententiam Salliani, intra annum.

IV. Quæritur: cur Josephus timuit Archelaum Judææ imperantem, et non fratrem ejus Herodem Antipam, imperantem Galilææ ex testamento patris? Resp. timuisse magis Archelaum primo, quia natu major potentior erat Antipa, ut qui dimidiæ parti regni paterni imperaret, cum Antipas quartam solum partem, Galilæam scilicet et Peræam obtinisset, adeoque tetrarcha tantum esset: Archelaus enim regni paterni hæres erat, non Antipas. Secundo quia Archelaus crudelior erat; siquidem cognati accusarant eum de sævitia apud Cæsarem regnumque ejus tyrannidem vocabant. Legati etiam Judæorum eum apud Cæsarem crudelitatis accusarant, antequam ab eo ethnarcha constitueretur, quod tria millia suorum civium in templo pro victimis jugulasset, apud Josephum, l. II. de bello, c. l. Mali ergo corvi malum ovum erat Archelaus. Tertio quia ipse a patre, mutato testamento (priore enim testamento Antipam Archelai fratrem natu minorem instituerat regem Herodes) hæres regni institutus erat, ac proinde patris mores et sævitiam erga Christum, si eum inaudisset, velut genuina ejus soboles, imitaturus. Antipas non item ut qui a patre dejectus regni successione, minus ei favere poterat.

V. Quæritur: ubi scriptum est illud a prophetis: *Quoniam Nazaræus vocabitur?* Resp. primo videri numerum pluralem positum pro singulari, quemadmodum et Joan. VI. dicitur: *Est scriptum in prophetis scilicet Isa. LIV. et paulo supra: Defuncti sunt enim qui querebant animam pueri, et alibi; vaticinatus est autem Isaias. c. XI. Christum fore Netser seu Nazaræum ubi nos legimus: Et flos de radice ejus ascendet:* flos enim Hebraice Netser dicitur,

quod S. Hieronymus vertit Nazaræus. In Hebræo enim, inquit, juxta linguæ illius idioma scriptum est: *Nazaræus de radice ejus crescet.* Sed quomodo Isaias dixit vocandum Nazaræum, cum hoc in ipso non legatur? Resp. quia dixit fore Nazaræum. Sic alibi de eodem dixit, vocandum admirabilem, fortem, etc. hoc est (phrasi Hebræa) fore admirabilem, fortem.

Resp. secundo, forte periisse illos prophetarum libros, in quibus hoc vaticinium expresse scriptum erat, uti putat S. Chrysostomus hom. IX. in Math. et Euthymius (aliquos autem sacros libros periisse certum est).

VI. Quæritur: fuitne Christus Nazaræus legalis? Resp. negative. Primo quia Nazaræorum præscriptos ritus non observavit; etenim vinum bibit, et ad mortuos ingressus est; quod illis non licebat. At si nomen Nazaræi (quod sanctum et segregatum significat) spectemus, fuit utique talis, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, ad Heb. VII.

Secundo. Quia non a Nazaræorum religione, sed a Nazareth civitate Nazaræus dictus est, uti explicat evangelista. Nazaræus Hebr. scribitur per Zain et significat sanctum; Nazareth vero per Tsade, et significat florem. Quod si evangelistæ Nazarenum vel Nazaræum scribunt per Zeta Græcum, causa est, quia id in Græca lingua habet sonum medium inter Z et S. Unde potuit utrovis modo scribi.

VII. Quæritur: cur a Nazareth potius, loco educationis, quam a Bethlehem nativo dolo nomen sortitus est? Resp. primo, quia in Bethlehem velut hospes et peregrinus tantum fuit; in Nazareth vero inquilinus et civis: ubi conceptus et educatus. Secundo ad instructionem nostram, ut sciremus non tam attendendum coram Deo ad nativitatem, quam ad educationem nostram. Ex hac sortiemur nomen erimusque sancti et floridi, si bene educati, non ex illa. Nativitas facit hominem, educatio facit bonum hominem; illa dat vivere, hæc dat bene vivere. Quare videat unusquisque non tam quo loco natus, quam quo modo educatus sit, ut mereatur aliquando in cælo dici Nazaræus, floribus virtutum undique decoratus.